

Semisses Magni. ex ære.

In una parte.

30. Iuppiter laureatus, dextro ore, habetur. Subter collum signum est. S.

In altera.

Rostrum navis, oculo, ac parasemone ornate. Supra eum est nota ponderis. S. Semissem eum æreum Romæ max. apud D. Antonium Augustinum vidi.

In una parte.

31. Apollo effigiatus est, dextro ore, crine modicè conuoluto, ad cuius ceruicem est monetarij signum, falci persimile, Subter collum est litera. S. Sine alijs trarum vestigijs.

In altera.

Roma depicta est galeata, Minervæ formæ, dextrossem intuens, absq; ullis omninò literis, nisi quod ponderis nota subter collum est impressa. S. Semis hic æneus à me visus est Romæ apud D. Antonij Augustini antiquitates: estq; e numero maximorum.

In una parte.

32. Roma galeam cristatam induta, Minervam cultu exprimit, ad dextram conuerso oculo. Ad ceruicem Deæ claua Herculis cernitur. Subter collum signum e. S.

In altera.

Imago eadem omninò, nisi quod in contrariam cæli regionem conuersa sit, idem signum et ponderis et monetarij. Literæ aliæ nullæ conspiciuntur. Semissem huic max. meminisse me vidi Romæ inter antiquitates D. Antonij Augustini.

In una.

B. iij.